

## INTRODUCTIO

### IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

Prius quam varias Philosophiæ partes singillatim tractare aggrediamur, oportet quædam præmittere, quæ nobilissimam hanc scientiam notam aliquo modo reddant et commendent, facilioremque ad eandem addiscendam aperiunt viam. Ac primo quidem

#### § I.—DE NOTIONE PHILOSOPHIÆ.

1. Philosophia, si vim vocis spectes, ἀπό τοῦ φιλεῖν *amare* et σοφία *sapientia*, idem sonat atque amor vel studium sapientiæ, scribente Tullio: «Nec quidquam aliud est Philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ (1).» Quid Philosophia ex vi nominis.

At ex impositione scriptorum post Pythagoram, nomen Philosophiæ sapientiam ipsam denotat, Philosophus vero ad eos designandos, qui priscis temporibus sapientes dicebantur, modestiori jam vocabulo adhibetur. «Cum enim antiqui studio sapientiæ insistentes sophistæ, id est, sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus quid se esse profiteretur, noluit se sapientem nominare, sicut sui antecessores, quia hoc præsumptuosum videbatur esse; sed vocavit se Philosophum, id est amatorem

(1) Lib. 2. de Finib. Cfr. De Legibus, lib. 1; De Officiis, lib. 2, cap. 2; S. August. Contr. Academ. lib. 2, cap. 2.

sapientiae (1). Et exinde nomen *sapientis* immutatum est in nomen *Philosophi*, et nomen *sapientiae* in nomen *Philosophiae* (2).

Quamobrem ut intelligatur quid sit Philosophia, declarandum est, quid sit sapientia.

Quid sapientia.  
Triplex acceptio:  
prima,

2. At sapientia trifariam accipi potest: primo pro cognitione rerum maxime universali per altissimas causas: quam describit Aristoteles initio suae Metaphysicae (3) et nos in suo loco describemus; est enim in hoc sensu sapientia habitus specialis praestantissimae scientiae, et in eodem dicitur Metaphysica *sapientia*, et *Philosophia prima* vel simpliciter *Philosophia* quasi per antonomasiam.

secunda,

Secundo sumitur *sapientia* pro excellentia in quavis arte vel *scientia*, aut pro arte vel scientia cujusvis rei perfecta et consummata: quo pacto sapiens dicitur v. g. medicus, qui medendi artem perfectissime callet.

tertia.

Tertia est acceptio *sapientiae* pro collectione omnium scientiarum: et in hac significatione sapientia non importat unum determinatum habitum scientiae, sed complexionem plurium habituum, ad eum modum quo *justitia*, in quadam acceptione, non unam peculiarem virtutem, sed concentum ac rectitudinem omnium virtutum voluntatis significat (4). Atque in hoc sensu sapientia vel Philosophia definita est a Stoicis, teste Plutarcho (5): *Divinarum et humanarum rerum cognitio aut*

(1) S. Thom. lib. 1. *Metaph.* lect. 3 paulo post initium Cfr. 2. 2. q. 186. art. 2. ad 1.<sup>um</sup>

(2) Pythagoram enim «Phluntem ferunt venisse, cumque cum Leonte, Principe Phlasiarum, docte et copiose disseruisse quaedam; cujus ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quasisset ex eo, qua maxime arte confideret; at illum: Artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum.» id est studiosum vel amicum sapientiae (Cicero *Tusculan. quest.* lib. 5 cap. 3.) Cf. Diogen. Laërt. lib. 1 de *Vitis Philosophor.*; Plutarch. de *Placit. Philosoph.* lib. 1. cap. 3; Quintil. lib. 12 cap. 1., Clemens Alexand. lib. 1. *Stromat.* c. 14 et lib. 4. cap. 3; Jamblic. lib. 1. de *Sect. Pythagoric.*, Lactant. lib. 4 *Divinar. Instit.* cap. 2; S. August. lib. 14 de *Trinit.* cap. 1. n. 2. et lib. 8 de *Civitate Dei* cap. 2.

(3) Lib. 1 *Metaph.* cap. 2. Vide ib. S. Thom. lect. 2. et Suarez disp. 1 *Metaph.* sect. 5. n. 7, 8, seqq.

(4) Cfr. Suar. *disp. Met.* 1 sect. 5. n. 7.

(5) Plutarch. de *Placitis Philos.* lib. 1 proem.

scientia. Vel si magis tibi placet celeberrima Tullii definitio, «*Sapientia est rerum divinarum atque humanarum causarumque, quibus haec res continentur, scientia*» (1): quam definitionem postea Clemens Alexandrinus (2) et Origenes (3) alique multi amplexi sunt. «Nomine vero *divinarum* intelligit Ammonius (4) res sempiternas, vocabulo autem *humanarum*, caducas; Honorius Augustodunensis (5) nomine *divinarum* incorporeas, *humanarum*, corporeas, cum ait Philosophiam esse eorum, quae sunt et non videntur, et eorum, quae sunt ac videntur, veram comprehensionem» (6).

Sic accepta Philosophia universam pene humanarum cognitionum *encyclopaediam* comprehendit, nisi verborum sententia paululum coërceatur. Quare nihil mirum, si Cardinalis Toletus sub Philosophia constituerit Musicam et Perspectivam et reliquas artes etiam fabriles, cum eam scientiam in *speculativam, activam et factivam*, sub qua continentur artes mechanicae, divisit (7), solis exceptis quibusdam artibus, «quae in ministerium Philosophiae inventae sunt, ac propterea Philosophiae partes non censentur ab aliquibus Peripateticis, quamvis nihil vetet ex eis aliquas esse scientias,» et sunt Logica, Grammatica, Rhetorica, Poetica, Historica et Epistolaris: quae «omnes, inquit, ancillae Philosophiae sunt, et ipsi deserviunt.» Et P. Sylvester Maurus etiam Rhetoricam, Poeticam et Grammaticam tamquam species Philosophiae Rationalis enumeravit (8).

(1) Cicero lib. 2 de *Officiis*, cap. 2.

(2) Lib. 1 *Stromat.* cap. 5.

(3) *Contr. Celsum* lib. 3. cap. 72.

(4) Initio *Proem.*

(5) Lib. 3 de *Philosophia mundi*, cap. 1.

(6) Fonsec. *Commentar. in libr. Metaphysicor. Aristotelis Stagiritae*, lib. 2, cap. 3. q. 3. sect. 2 fin. Cfr. Franc. Tolet. *Commentaria una cum questionibus in octo libros Arist. de Physica auscultatione*. Praefat. De *Philos. Nomine ac Definitione*; et Conimbricenses, *Commentarior. Collegii Conimbric. e Soc. Jesu super octo libros Physicorum Aristotelis Stagiritae. Proem. De Nomine Definitioneque Philosophiae* paragr. Alii *Philosophiam esse dixerunt*.

(7) Loc. nuper cit.

(8) *Aristotelis Opera omnia quae extant, brevi paraphrasi et littera inhærente expositione illustrata* a Sylvestro Mauro S. J. vol. 1. *Proem.* tot oper. n. 3.

Si ergo idem valet Philosophia ac Sapientia pro diversis hinc tribus acceptionibus sapientiae, varie definiiri Philosophia potest. Ut vero nihil hac in re praetereamus, sunt et alii sensus, quibus sumitur Philosophia.

Nam quarto loco accipitur pro veritatis contemplatione, comprehenditque scientias dumtaxat speculativas. Et sic dividitur in hoc sensu Philosophia ab Aristotele in Physicam seu Philosophiam naturalem, Mathematicam et Metaphysicam (1). «Hujus acceptionis, inquit P. Antonius Rubius (2), meminit Plato, ut refert Alcinoüs in libro de doctrina ejus capite sexto.»

Quinto Philosophia pressius adhuc sumitur pro his solum speculativis scientiis, quae de rebus per se subsistentibus tractant: et ita solum complectitur Metaphysicam et Physicam seu naturalem Philosophiam. Quem in sensum forte locutus est Stagirita, cum scripsit tot esse partes Philosophiae, quot substantiae (3).

Haec sunt praecipuae acceptiones Philosophiae vel sapientiae, de quibus loquuntur auctores (4). Non tamen omnes accommodatae sunt ad eam rem declarandam, quae sub nomine Philosophiae tractari communiter solet in scholis librisque scriptis. Neque vero nostrum est nunc quid nomine Philosophiae intelligi possit aut intellectum fuerit ab hoc vel illo auctore, definire, sed frequentiore magisque usurpata notionem vocis investigare. Et in primis quarta et quinta sunt nimis restrictae, ut patet, quia praeter Physicam, Mathesin et Metaphysicam, omnes agnoscunt Moralem tamquam veram partem Philosophiae, practicam nimirum; et communissima item sententia, quam alibi tuebimur, Logicam quoque inter membra Philosophiae recenset.

(1) Vid. Arist. *Metaph.* lib. 2 cap. 1. text. comm. 3; lib. 6, cap. 1.

(2) R. P. Antonii Rubii Rodensis Soc. Jesu *Commentarii in octo libros Aristotelis de Physico auditu, Universale Prooem. totius Op. De nomine et acceptionibus Philosophiae, paragr. Secundo modo.*

(3) Aristot. lib. 4 *Metaph.* cap. 2. Cfr. S. Thom. ibi lect. 2 fin.

(4) Vide Petrum Fonseca loc. cit., sect. 3; Antonium Rubio loc. cit. et Complutenses, *Collegii Complutens. Discalceatorum Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo. Disputationes in octo libros Physicorum Aristotelis.* Disp. prim. prooemial., quest. 1.

Prima etiam acceptio, utpote quae uni convenit Metaphysicae inter humanas scientias, ob eandem causam omittenda est.

Tertia acceptio a quibusdam rejicitur ex eo capite, quod secundum eam definitio illa Stoicorum et Ciceronis non conveniret singulis partibus Philosophiae, sed solum omnibus simul sumptis; non enim soli Physicae aut Mathesi etc. convenit esse cognitionem divinarum atque humanarum rerum causarumque, quibus haec res continentur. Et sic singulae scientiae, quae sub nomine Philosophiae traduntur, non forent variae species Philosophiae, sed solum diversae partes integrantes unius scientiae.

Gravior mihi videtur adversus illam acceptionem ea ratio, quod nisi sensus verborum paululum contrahatur, nimis lata futura sit atque diffusa. Nam definitio illa, si prout jacet, intelligatur, nulla erit scientia, quam nequeat sub se comprehendere; cum tamen nec divisiones ex communi Philosophorum sensu factae, nec libri innumeri de re philosophica conscripti, scientiis et artibus quibusvis, sed paucis quibusdam inter caeteros praestantioribus, nomen ac dignitatem Philosophiae asseruerint. Caeterum si sensus tertiae acceptionis apte coerceatur, facile revocari poterit ad veram magisque usitatum nominis interpretationem.

Existimo ergo secundam ex praedictis acceptionibus sapientiae esse eam, quae communi scriptorum de re philosophica sensui maxime respondet. Per eam enim intelligi potest, non omnem scientiam Philosophiam esse; eademque accommodatur omnibus tractationibus, quae sub nomine et amplitudine Philosophiae a sanioribus saltem auctoribus conficiuntur.

Philosophia itaque in vulgari frequentiorique usurpatione sapientiam importat in secunda ex allatis acceptionibus, nempe non quamvis scientiam vel artem, sed excellentem dumtaxat ac perfectam rei notitiam sive scientiam. Unde etiam Patres Ecclesiae sacram doctrinam christianaeque pietatis et religionis professionem Philosophiam dixere, quasi nobilissimam omnium scientiarum maximeque dignam homine sapientiam.

3. Ut vero ex hac nominali Philosophiae interpretatione realem colligas definitionem, nota rem tunc perfecte consummateque cognosci, cum cognoscitur prout est. Est autem

Realis definitio  
Philosophiae.

quælibet res, si saltem de creatis agatur, per suas causas. Itaque perfecte non cognoscitur res nisi per suas causas, nec per quamlibet causas, sed per omnes usque ad altissimas ac remotissimas, donec veniatur in demonstrando ad principia immediata per se evidentia et ulterius indemonstrabilia, quæ sunt postrema ratio demonstrationis et ultimus terminus resolutionis scientifica. Sic si quærat cur homo sit risibilis, respondere poteris, quia est admirativus, remque scis per causam, quia radix et causa risibilitatis stat in admirativo: nihilominus nondum perfecte consummateque scis hominem esse risibilem, donec venias ad ultimam rationem, nempe ad rationalitatem, quæ cum sit ratio admirativi, est quoque remota et suprema causa risibilitatis. Nam in investigatione causarum risibilitatis, cum jam ventum est ad rationalitatem, quæ est hominis essentia, procedi ulterius nequit. Est ergo Philosophia scientia rerum perfecta consummataque; scientia vero perfecta illa est quæ rem cognoscit per omnes suas causas usque ad ultimas omniumque remotissimas. Scientia enim perfecta non est nisi illa quæ explet cupiditatem omnem sciendi; nec irrequieta cupiditas sciendi prius satiatur, quam omnes rei causæ penitus innotescant.

Quæ cum ita sint, apte describi potest Philosophia: *scientia rerum per causas supremas naturali lumine comparata*. Est *scientia*, nempe cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita, sic enim definitur scientia, quemadmodum suo loco exponetur. Est *scientia per causas supremas*; quia jam diximus, non quæcumque scientiam esse Philosophiam, sed scientiam dumtaxat perfectam, qualis haberi nequit, nisi in causarum investigatione assurgatur usque ad supremas. Unde scientiæ, quas vocant *subalternas*, cum non assurgant usque ad hujusmodi causas, sed hæreant in proximioribus, nec habeant principia propria et indemonstrabilia, sed loco principiorum utantur propositionibus in altiori scientia demonstratis; per se nec nomen nec dignitatem Philosophiæ merentur, nisi forte quis illarum cognitionem conjungat et continuet cum cognitione altioris illius scientiæ, sub qua subalternantur.

Denique dicitur Philosophia scientia rerum *naturali lumine comparata*, ut distinguatur a Theologia dogmatica, quæ et ipsa est scientia rerum per causas ultimas, at non comparatur

lumine naturali, sed innititur principiis revelatis. Hinc disces etiam, ut id nunc obiter notemus, vim verborum illorum: *Philosophia Historiæ, Philosophia Juris, Philosophia Grammaticæ*, et similibus, quæ nostris temporibus tantopere jactant nonnulli: significant nempe penitentiorem illarum disciplinarum cognitionem, quæ ad supremas usque rationes rimandas ac detegendas assurgat.

Huc revocare facile potes definitionem illam a Fonseca allatam, qua Philosophia dicitur *scientia rerum per omnes suas causas*, vel illa Joannis Damasceni (1) et Ammonii (2), secundum quos Philosophia est *cognitio rerum ut sunt*. «Nam cum res omnes, quarum causæ quærentur, habeant esse per suas causas; tunc illæ cognitæ erunt, ut sunt, cum omnes earum causæ ita perceptæ fuerint, ut nulla jam superior quæretur, saltem in eo genere» (3).

Et in eundem etiam sensum interpretari possumus stoicorum sapientiæ aut Philosophiæ definitionem, restringendo illam ad cognitionem rerum sive divinarum sive humanarum per causas omnes usque ad ultimas.

Alias Philosophiæ definitiones quære, si lubet, apud varios auctores congestas (4).

4. Ex quo jam per se patet dignitas et utilitas Philosophiæ. Dignitas quidem, quia præstantissimam rerum cognitionem præbet expositis causis rationibusque rerum omnibus: unde nobilissimum existit intellectus humani ornamentum. Accedit quod scientia eo est excellentior, quo excellentius est objectum circa quod versatur; objectum autem eo est excellentius, quo magis immateriale, simplex et universale. Atqui tale est objectum Philosophiæ, utpote quod pertingit usque ad ultimas causas supremasque rerum rationes, quæ sunt

Philosophiæ  
dignitas,

(1) Lib. 4.<sup>o</sup> suæ *Dialecticæ*.

(2) Initio *Predicabilium*.

(3) Fonsece. loc. cit.

(4) Vid. S. Joan. Damasc. *Dialect.* cap. 3; Psell. in *Ephitome Logicæ*. et in *Comp. in quinque voces*; Pachymer. *Paraphr. in Aristot.*; Thomasin. *La méthode d'étudier* etc. lib. 1, cap. 1; Conimbricens. *Proem. in octo libros Physicor. De Nomine definitioneque Philosophiæ*.

omnium universalissimæ, simplicissimæ ac maxime immateriales. Nihil igitur mirum, si Philosophia apud homines in maximo semper honore habita sit, ac tamquam Regina humanarum omnium scientiarum reputata.

Utilitas quoque Philosophiæ summa est; primo, quia cæteris omnibus scientiis sua suppeditat principia. Cum enim supremas rerum omnium rationes causasque sectetur, necesse est ut scientiæ aliæ, quæ extra Philosophiæ ambitum vagantur, ab hac sua principia et fundamenta mutuentur. Sane quævis scientia versari debet circa aliquod objectum aut divinum aut creatum. Cum igitur ad Philosophiam spectet rerum omnium, sive divinarum sive creaturarum ac naturalium, supremas rationes contemplari, omnes aliæ scientiæ objecta rationesque sub his supremis contentas considerent, oportet; atque adeo prima harum scientiarum principia tandem a principii illis rationibusque superioribus suum valorem et firmitatem desument.

Neque aliis solum humanis scientiis, sed ipsi etiam Religionis ac supernaturali Theologiæ maxime deservit, «tum propter confutationem errorum, quos increduli et heterodoxi ex rationis abusu derivant, tum propter demonstrationem veritatum, quæ Fidei sunt præviæ, ut Dei existentia, veracitas, providentia et cætera ejusmodi. Præterea etsi Fides multas veritates præbeat, quæ rationem excedunt et *mysteria* dicuntur; tamen nonnullas etiam tradit, quæ naturale lumen non exsuperant. Tales sunt ex. gr. *creatio mundi, liberum arbitrium, animarum immortalitas*, et ita de reliquis. Demum quoad ipsa *mysteria* Fidei rationem excedentia, juvamen affert. Primum quia veritates supernaturales eo melius apprehenduntur, quo magis natura apta fit ad eas recipiendas: habitus autem naturæ dependet a majore cognitione naturali, quæ per Philosophiam acquiritur. Deinde quia Philosophia non paucos conceptus enucleat, qui pro sua amplitudine rebus tum divinis tum humanis sunt communes. Ita se habent rationes *veri, boni, substantiæ, personæ, naturæ, principii, unitatis*, et centum aliæ, quarum philosophica explicatio summopere confert ad ipsa dogmata distinctius percipienda. Denique ipse apparatus veritatum naturalium cum suis pronuntiatis ordinis, sive ideologici sive ontologici, mirum in modum Theologiæ cam-

utilitas.

pum amplificat; quatenus principii revelatis adjunctus, innumeris illationibus aditum reseat» (1).

### § II.—DE PHILOSOPHIÆ PARTITIONE.

5. Duplicem proponemus Philosophiæ divisionem; alteram, quæ Platoni vulgo tribuitur post Ciceronem (2); alteram, quæ communissime recepta fuit inter Scholasticos. Prima distribuit Philosophiam in *realem, rationalem et moralem*. «Realis est quæ agit de ente reali, hoc est de rebus secundum se et secundum prædicata quæ rebus conveniunt a parte rei et nemine cogitante. Subdividitur in *Physicam*, seu naturalem Philosophiam, *Mathematicam et Metaphysicam*. Physica agit de ente ut naturali, hoc est sensibilibus mobili et mutabili. Mathematica agit de ente ut extenso. Metaphysica agit de ente ut immateriali positive vel præcisive, hoc est de rebus carentibus materia ac de rationibus communibus enti materiali et immateriali, cujusmodi sunt ratio *entis substantiæ* etc.» (3).

Philosophiæ duplex divisio: prima.

«Philosophia rationalis est, quæ agit de ente rationis, hoc est de rebus relate ad actus rationis et ad eorum signa, ac de ipsis actibus rationis et eorum signis» (4). Hæc vocatur alio nomine *Logica*, quia disserit de actibus rationis, prout ad veræ assecutionem dirigendis, prout mox declarabitur, ac docet modum recte definiendi, dividendi, argumentandi etc.

«Philosophia moralis est quæ agit de ente morali, hoc est de rebus relate ad actus morales, ac de ipsis actibus moralibus, ac docet modum recte vivendi. Sunt autem actus *morales*, per quos homo efficitur simpliciter bonus vel malus, hoc est aptus vel ineptus ad consequendum suum ultimum finem» (5).

Alter modus divisionis est, ut prius dividatur in Philosophiam *speculativam et practicam*. Et speculativa subdividitur

altera.

(1) Liberatore, *Institutiones philosophicæ* vol. 1. *Prolegomena* paragr. 2. *Philosophiæ utilitas et excellentia*, n. V.

(2) Cicero. *Academic.* lib. 1. n. 6.

(3) Sylvest. Maur. *Aristot. Opera omnia* etc. vol. 1. *Procem. tot. oper.* n.º 2.

(4) Id. *ibid.* n. 2.

(5) Id. *ibid.* n. 4.